


05

A

226





ORATIO
INAUGURALIS,
De
REFORMATIONIS
EVANGELICÆ
NATURA ET INDOLE,

Quam in
ACADEMIA ELECTORALI
FRIDERICIANA

Ad
PROFESSIONIS THEOLOGICÆ
capienda primordia
solenniter immissus

D. XVIII. Nov. A. M DC. XCI.
habuit

JOACH. JUSTUS BREITHAUPT, D.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, Regiminis Elect.
Brandenb. Typogr.

*Perillustribus atque Excellentissimis
Dominis,*

**DN. JOHANNI FRI-
DERICO de RHEZ,**

HÆREDITARIO in Großenbähnitz/

SERENISSIMI & POTENTISSIMI
ELECTORIS BRANDENBURGICI
MINISTRO STATUS ET CONSILIARIO
INTIMO ETC.

ET

**DN. DANIELI LUDO-
VICO de DANCKELMANN,**

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI
ELECTORIS BRANDENBURGICI
MINISTRO STATUS, CONSILIARIO INTIMO
ET MILITIÆ ELECTORALIS COMMISSARIO
SUPREMO ETC.

*DOMINIS atque PATRONIS meis submissè
colendis,*

Primitias Halenses Theologicas

venerabundâ mente

offero

JOACH. JUSTUS BREITHAUPT, D.



05 A 226



Uram Universitatis Fride-
ricianæ quam SERENISSIMUS
FRIDERICUS, Dominus
noster Clementissimus, Vo-
bis MÆCENATES, clementissimè deman-
davit, et si apud animum dudum veneror,
tamen publico eandem cultu prosequi
jubet officii ratio, quam Superioribus
probare optimus quisq; allaborat. Sisto
humiliter Orationem, quâ ante biennium
ferè auspiciatus sum functionem Acade-
micam, eo argumenti genere usus, de
quo Theologum ante omnia sollicitum
esse oportet. Sunt ipsæ laborum primi-
tiæ hic susceptorum, quæ nemini re-
ctiùs, quàm Proceribus, quos alma Ele-
ctoralis Serenitas Universitati præfecit,
offerri possunt; præsertim cum & preces
ad Deum factas exhibeant pro Fundato-
ris

ris Academiae Celsissimi incolumitate.
Agnoscite gratiosè, Patroni, fiduciam
erga Vos meam, & certò statuite, quòd
summa curarum sit mearum, ut, ex qui-
bus fundamentis Reformatio tam felici-
ter accreverit, iisdem juvenes Ecclesiae
destinati ad obeundum Ministerium
præparentur. Sic Vobis me quàm opti-
mè probavero: Quos non est quod mul-
tis rogem, ut benignæ erga Academi-
am voluntatis partem in me aliquam
porrò derivetis, benè equidem memor,
quòd in maximis Vestris curis plurimum
solicitudinis Studiorum impertiatis salu-
ti, quam in Dei Opt. Max. gloriam me-
met unicè intendere confirmo. Hisce
conatibus favete, Domini Generosissimi!
Consilia Vestra Auctor omnis boni for-
tunet, largâqve Vobis gratiâ sit præsto!
Dabam in Electorali Academia, quæ Ha-
lis Saxonum est, Fridericiana, a. d. X.
Octobr. A. M DC XCIII.



Gratia & misericordia Patris

Luminum, à quobona omnia descendunt, splendor è facie Jesu Christi gratia & veritatis plenus, ipsaq; lux Spiritus Sancti inexhaustis sapientia rivis scaturiens, sacrosancta illa Trinitatis bonitas sit nobiscum omnibus, adsit laboribus nostris ad ipsius gloriam spectantibus, in nomine JESU CHRISTI!

Amen.

I,

DE rebus divinis & Theologicis nonnullos hanc mentem gerere accepimus: quemadmodum Elephas delectetur quidem amnibus, quos tamen haud facile ingrediatur, cum inscius sit natandi; sic Theologiae caelestibus aquis

A

quis

quis tingendum animum, non verò mergendum esse, ut quæstionum vortices evitentur. Et verò pudenter agit humana ratio, quando in tam periculo sum pelagus, cui ipsa planè impar est, veretur se immittere. Quod si autem Spiritus Sanctus verbo suo in omnem veritatem nos ducere dignatur, neminem dubitare autumo, quin eò ductore, facultatem simul viresque affundente necessarias, tutò liceat prætervehi Syrtes quas-cunque, & undis vitarum saluberrimis se totum credere oporteat. Neque enim sapientia vera in dubitationibus, sed in testimonio auctoritatis æternæ occupatur ac conquiescit. Ego cum hodiè, imperio POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI, DOMINI NOSTRI CLEMEN-TISSIMI, primus in hac surgente Universitate publicæ Professionis Theologicæ partes aggrediar bono cum Deo, Oratione Inaugurali, quam dicunt, de veris Theologiæ fundamentis agendum ratus, nihil video vel tam sancto scopo dignius, vel anni temporis Martiniano accommodatius, vel auditorio fructuosius dici posse, quam de illâ, quæ seculo superiore contigit, *Reformatione Evangelicâ*. Fecerat tum pridem Christiana Ecclesia immane quantum naufragium,
Si-

Sirenum profanarum cantu, Sophistarum voraginibus, Romanensis Chimææ vinculis ita abrepta, submersa ac coarctata, ut erigendæ atque instaurandæ illius spes in solo Verbi divini robore, quod tam diu latuerat, collocanda esset. Hoc proinde communitus à DEO Lutherus, unâ præcipuè doctrinâ, Fidei à corruptelis repurgatâ, tanquam reparatâ quâdam anchorâ, effecit tantum, ut ex eo tempore opinionum gurgites contemnere, & vivos Israël's fontes intrare ac salutariter haurire queant, quicunque vias relegere antiquas in Ægyptum veriti, mentem Spiritui Sancto fideliter atque integrè vindicarint. Quæ verò tam excelsa & efficax in Reformatione Evangelicâ insit indoles, de quâ porrò nunc dicemus, hoc tanti argumentum est ponderis, ut, quisquis verè id intellexerit, non possit non quævis Ecclesiæ fata dignoscere, & iisdem remediis quòd semper sit opus, statuere firmiter ac judicare.

II. Non equidem inusitatum quiddam est circa res etiam Ecclesiasticas Reformatio, cujus exempla benè multa utriusque Testamenti præbent Antiquitates. In merè humanis vicissitudo ejusmodi, & commutatio rerum in melius, ob-

via magis quotidie occurrit, quæ si benè ac feliciter eveniat, multum ex istâ laude solertia hominis, multum experientia solet decerpere. Quamquam enim Rex regum æternus vitam agendiqve vim dedit mortalibus, permittit tamen plus in hujus seculi casibus ad voluntatem liberè agentium fluere, ut ipsis quoque Ethnicis quædam non iniquè factorum præmia contingant; quàm si quis in iis, quæ *Regni Gratia* sunt, ex suo arbitrio effingere quidquam & mutare ultrò sustineat. Imbecillior est natura humana, lapsu illo Adami funditus corrupta, quàm ut in spiritualibus, quæ suo dicuntur nomine, veri aliquid ac salutaris concipere saltem, nedum restituere valeat ab se, ni DEUS auctor ipse & dux sit, qui ex verbo suo veritatem & necessitatem invicto spiritu ostendat, simulqve animum haud suggerat tantum, sed impellat quoque ad agendum, immò viam ita aperiat, quam nisi quis sequatur, convictum se prorsus de nefario divinæ voluntatis contemptu nôrit. His conditionibus destituti certè fuerant, quos Actorum Apostolicorum quinto Gamaliel, Israëlitarum id temporis spectatissimus allegat, Theudas & Judas Galilæus: quorum consilia cum talem for-

tita

tita exitum essent, qualem ex se merebantur, hinc laudatus Apostoli Pauli præceptor præclaram sane ac certissimam deducebat hanc regulam: *Si ex hominibus fuerit opus, dissolvetur; si ex Deo, dissolvere nemo poterit, sed qui volet, pugnabit cum Deo.* Quo in loco dignissimum observatu accidit, quòd Doctor ille Judæorum prudentissimus non tam de personis, quàm negotio in se spectatò sermonem faciat, divino quodam modo prævidens, tametsi homines indigne habeantur tollanturque e medio, ceu Stephano & deinde Apostolis, uti & Husso ante Lutherum contigit, nihil hoc ipso tamen detrahi posse operi, quod per eos inchoatum voluerit Numen omnipotens, per alios propagandum. Est omninò hæc Dei propria auctoritas, quam in reges tanquam imaginem gerentes suam transfudit, ut in decretis ac mandatis servet constantiam, nec, si hominibus circa illa ministrantibus aliquid secus eveniat, casu hujusmodi valorem iis decedere patiatur, sed se potius ipsum inde quasi exsulcitet, vindictamque, ad quam Pater alioqui est tardus, acuat ma-

A 3

Ill. Seck. Hist. Luth. I. II. IX. 8. notat, iisdem Gamal. verbis Lutherum de Reformationis suæ successu sæpe usum esse.

gis ex merito, nec humanam, at suam esse cau-
sam, ex mirabilibus præsertim fatis universo ho-
minum generi persuadeat. Ita nunquam adeò
mirificos animadvertere licet processus, dispen-
sationes & providentiæ genera, quàm si Eccle-
siæ suæ rex juxta & sponsus seu mutationem
seu reformationem molitur in iis, quæ ad cultum
suum pertinent. Ne sublimiora illa, quæ Ægy-
pto ante promulgationem Decalogi, vel Jero-
solyms post Domini ascensionem contingere,
alitiùs recognoscam, & quantum sit quærelarum
tunc effusum, ibi de facienda migratione, hinc de
ritibus Moysis immutandis: jam ob animum
versantur nobis admiranda Lutheri nostri fata,
quæ ita plane comparata sunt, ut, si laudes & en-
comia, in hunc virum DEI quæ cumulari so-
lent, reputem mecum, & mentem Spiritui San-
cto vacantem adhibeam, longe rectiùs facere
mihi videantur, qui in temperandis atque atte-
nuandis iis majorem operam ponant, quàm ut
supra modum extollant ipsius consilia: non,
ac si invidendum arbitrer honorem, quo orna-
tus ille quàm maxime in sanctis refulget; ve-
rùm ut ne extrinsecus vagantem fumum, sed
ignem in foco ardentem sequamur, etiam atque
etiam

etiam bene memores, quibus & quam variis modis hoc suum instrumentum, Lutherum ajo, Deus sapientissimus ipsa inter miracula affligi voluerit, ac tantum non confici, ut, si fulgura quædam altiore spiritu emissa ad sublimiorem originem revocemus, alias fere sollicito magis & submisso (etsi fide confirmatâ) quam obfirmato & elato fuerit pectore. Quâ fini autem is non tanquam effrenatus & præfidens sibi heros, sed humilis & veluti infans procedere potissimum debuit? nempe ut operis præ se ferret conditionem, cujus auctor & effector ipse esset Deus admirabilis, leniter hic incedens quidem, ast graviter ac constanter agens, qui urgebat tum arcano illum impetu, atque indefinenter oris sui verbo & spiritu docebat ducebaturque. Longum esset, hinc enarrare, quam prudenter SAXONICI ELECTORES, * aliique Principes ac Magistratus ejus temporis sese hac in causa gesserint, quantopere consiliis pepercerint humanis atque auctoritati suæ, ut Reformationis divinæ vias observare & sequi potius, quam suo quidquam statuere ex arbitrio consultum ducerent, ad veritatem

* *III. Seck. Hist. Luth. I. II. §. XV. add. 1. f. sub Reformationis processu quam moderatè & cautè egerint Electores, enumeratis gradibus expendit.*

tem quidem, plenâ conscientiâ perceptam, cum vitæ, dignitatis & opum periculo tuendam promississimi. Ita omnes circumstantiæ docent, quòd ipso fato disponente faceßere debuerit longissime, quicquid homines suâ vel prudentiâ vel sapientiâ machinari solent. Et certe nisi intra animum sit Christus, qui terrenos compescat spiritus, atque e Patris sinu agenda commonstret, credite, Auditores, visa quævis optima nunquam producent meliora, sed deteriora omnia. Quicquid nimirum Deo ablatum, refici aliter, quàm ab ipso, nullo modo posse, id verò primum, inquam, est, quod Reformatio in sacris sibi vendicat ac suum prorsus agnoscit.

III. Nunc verò, ob quam causam Reformatio illa, non tam à Luthero, quam per eum divinitus facta, dicatur Evangelica, audiamus. Non immeritò neque obscure Apostolus Petrus Evangelii lucem comparat *lucerna, apparenti in caliginoso loco*, donec dies illucescat & lucifer oriatur in cordibus: nec aliâ ratione initium atque incrementa sumsit mutatio ista Ecclesiastica. Nicolaus Amsdorffius, qui præfationem confecit in Tomos, de Luthero asserit eâdem mente, quod Proverb. IV. dicitur: *Justorum se-*
mita

mita similis est luci, quam aurora spargit. Ut enim hæc, inquit, paulatim usque ad meridiem crescit, ita in pectore Lutheri, legentis scripta prophetica & Apostolica, Deus subinde clarior & firmiorem lucem accendit. Qvis vero ignorat, quod, quemadmodum solis præsentia tenebris orbem exsolvit quasi ac liberat, similiter Lux Evangelii sub Legis mole gementibus spiritum Domini per fidem afferat, cumque eo libertatem, Paulo ἐλευθερίαν dictam, quæ & peccata & errores magis magisque dissipantur? Hæc libertas animo dignè concepta parit alteram, παρρησίαν appellatam, quæ filii Dei, libere nunc ad Patrem accedentes per Christum, Abba clamant, roboratique Spiritu Sancto, aliis quoque pro re nata impertire, charitatis lege adducuntur, quæ ipsi bona ex Verbo & agnitione divinâ perceperint. Utroque igitur sensu isthæc fidei libertas ex Evangelio nascitur, mentemque & voluntatem omni veritate ac rectitudine cœlesti imbu- it, nec intra animi limites contineri aut potest aut debet cognita, sed tenetur & oris confessione fidem atque experientiam prodere. Fit enim ductu Spiritus Christi, effundentis in corde amorem Patris, ut, postquam hujus magnitu-

2. Cor. III.
v. 17

ib. v. 12
1. Joh. III.
v. 21.

B di-

dinem inenarrabilem admiratur homo, affectu illo paterno accensus eâ vicissim erga DEUM flagret dilectione, quam silentio intempestivo premere inviolabilis prohibeat religio. Profluunt ergò de cujusvis verè credentis ventre vivarum rivi aquarum, erumpentes quidem eò fortiùs, quò majora & evidentiora apparent animarum in tenebris versantium pericula, quas ad eundem in cœlis Patrem alliciendi ac reducendi cupiditate ipsa charitas vehementer etiam atque etiam ardet. Atque hæc est tam nativa & Evangelica dictæ Libertatis, ex spiritu emanantis, efficacia, ut, cum alii consilia ferè humana agitare, vel animos cohibere suis legibus contentur, ejus qui compos fuerit, unum id agat solummodò, ut Parenti ac Domino cœlesti ex officii ratione serviat fideliter, nec dissimulet coram mundo, quæ ad salutem perspexerit necessaria. Hæc experitur, hæc exercet, hæc profert communicatque omnia, quæ viam ad cœlos facilem aperuerint, non, ut partes docendi sumat, verum quia, quæ celare est nefas, si pronunciat, eo ipso non potest non docere, existens hoc pacto aliorum simul præter intentionem reformatrix. Ut mihi ex Evangelii hujusmodi naturâ
mi-

minùs abstrusum videatur illud esse, quod *Lutherus, in Epistolam ad Romanos præfatus*, quasi quiddam incredibile inexpertis dicere putatur, eum, qui fide vivâ polleat, non cogitare de bonis operibus faciendis; quippe qui antequam de iis fulcipiat cogitationem, ipsa effecerit dudum, & in patrandis rectis jam tum semper occupetur. Cujusmodi quid eidem hæc affirmanti *Luthero* circa Reformationem profectò accidit, haud dubitanti Deum testari, quod non voluntate nec studio, sed verum profitendo in eam casu incidit, * quam ipse animo nunquam præsumserat. Ex quo intelligimus, quàm vere dicatur Evangelica, à Dei solius gratiâ proficiscens, nulla prævia deliberatione suscepta, & cum pridem e fide proflueret, improvisâ demum admiratione observata. Idem verò luce clarius erit, si, quo ordine Spiritus Sanctus hunc ministrum suum paulatim à mendaciis ad sublustre quasi veritatem, ex hac porrò in magis integram & plenam deducens illustrârit, iterum iterumq; ponderemus. ** Indulgentias primùm ne carpebat

B 2 qui.

* *B. Lutheri* in *Præfat.* Tom. I. Lat. Jen. verba sunt: *Casu, non voluntate nec studio in has turbas incidi. Deum ipsum testor.*

** *Ibid.* ex intervallo sequuntur hæc: *Memor sis, me unum fuisse*

quidem, sed detestandum modò abufum, quo amoto fortassean siluisset ille. Nihil tum contra operum merita, nihil contra Missam, nihil contra Pontificem laborabat. Quò ducebatur à DEO per indubitatum Spiritùs Sancti è verbo testimonium, eò pergebat, neque ultrà; recessurus etiam, si firmitus quidquam ab hoste percepisset. Quid dicam multa? Fidem ipsius sensim reformabat DEUS, quam cum is ore confiteretur, en! Reformatio inde Ecclesiæ derivabatur. * Qvalia meditati obversatur mihi amnis imago, cuius aggeres quando rumpuntur, rivi, quà data porta, effluunt, nec tam volentes humectant arva, quam ipsius coloni potiùs voluntatem, & naturam sequentes suam. Quo: circa Reformatio non immeritò appellatur Evangelica, utpote quæ minime ex humano quodam proposito, sed è ductu & necessitate fidei, scripturarum beneficio patefacta, ultrò promanavit.

IV Hæc

fuisse ex illis, qui (ut Augustinus de se scribit) scribendo & docendo profecerint, non ex illis, qui de nihilo repente fiunt summi, cùm nihil sint, neque operati, neque tentati, neque experti: sed ad unum intuitum Scripturæ totum Spiritum ejus exhauriunt. Idem pluribus notat Ill. Seckend. de Luth. l. I. Sect. 13. §. XIV.

* Conf. Ill. Seckend. de Lutheran. l. CXXXIX. Add. Ill. g. de piæ & Christianæ Religionis naturâ.

IV. Hæc si remotius, aut ex origine profundius petita alicui videantur (quanquam quò simpliciore affectu quisque in Christum fuerit, eò cognoscuntur hæc intimius) protinus Evangelica Reformationis ratio ex malis patefcet evidentissimè, à quibus liberata per eam Ecclesia est. Illa verò nec Adversarii Romanenses inficiari audent, quos, quoniam ad hunc locum meà pervenit Oratio, ipsos loquentes vobis, Auditores, sistam; * *Valerianum Magnum* præsertim, magnum illum Capuccinum, qui, *Fateor*, ait, *fuisse sub finem superioris seculi, cur homo amans boni publici voluisset reformari apud nos plerumque, salva fidei integritate, nusquam deformatâ. Fuerat eâ tempestate Catechismus Christianæ plebi rarus, ignorantia frequentior, mores in populo corrupti, usque ad orbis scandalum. Insederat animis, ex inscitâ illâ, frequens superstitio in cultu Sanctorum, in veneratione sacrarum imaginum, in devotione erga Sanctorum reliquias. Invaserant plerumque Ecclesiasticorum ambitio, simonia, pompa,*

B3 *de-*

* Ueberius hæc leguntur in Tract. Ven. D. Kortbolte, Prof. Prim. Kil. de Processu disputandi Papistico.

delicia: quæstus etiam ex Jurisdictione Eccle-
siasticâ gravis populo Christiano. Ipsa indul-
gentiæ a privatis Ecclesiasticis sæpius trahi vi-
debantur in nundinas. O mores! O tempora!
Quâ confessione ipsius hostis nihil apertius, aut
Reformatione Evangelicâ dignius excogitari
potest. Nec prætermittendum videtur, quòd
Pontifex quoque *Hadrianus VI.* fateri solitus
sit, eam tunc fuisse Ecclesiæ ac Curie Romanæ
faciem, ut universus mundus illius reformatio-
nem avidius desiderârit. At enim desideriiis
hujusmodi cum totus Christianus orbis tacitè
congemeret sub Romano jugo, ipsaqve Germa-
nia Indulgentiarum diluvio ante omnium ocu-
los fere submergeretur, nemo tamen repertus
est, qui libertatem verè Evangelicam vel optare
saltem sciret, ne ipse quidem Lutherus. Etsi
enim hic contra Indulgentiarum abusum The-
ses proponebat, certe non illo audebat hoc i-
plum animo, ut Reformationem circa Romanæ
Religionis fundamentum necessarium meditare-
tur. Externa is vulnera observans primum cor-
ripiebat, nondum perspiciens, quo faucia malo
Ecclesiæ penitus corrupta esset. Quòd si enim
sic

sic dicti Indulgentiarum abusus sublati ex animi
sententia fuissent, quid quæso hinc medelæ reli-
quis accessisset damnis? parum credo eequidem.
Quemadmodum ædes arcanâ laborantes flam-
mâ involvi assiduo fumo solent, ubi frustra fe-
ceris, si hinc vel illinc rimis, unde erumpit nu-
bes, extrinsecus mederi studeas; magis enim
magisqve cœcus ille ignis materiam carpit ab-
sconditam, & multo periculosius incendium
parat, ni mature ab artifice detegatur, atqve erua-
tur ex latebris. Status Ecclesiæ id temporis non
alius fuit, à cuius exterioribus fumi instar indi-
ciis, quæ sola invadebat Lutherus, hunc DEUS
ad causam interiorem miris modis, durâ sane
manu per adversa omnia, inscium ac pene invi-
tum perduxit attraxitqve.

V. Nam obsecro tantorum malorum, qui-
bus oppressa erat Christi Ecclesia, quæ causa
præcipua & fons? Dominatus nimirum Papæ
tyrannicus & tam immanis auctoritas, ut nefas
creditu esset, eum posse labi, errare ac decipi;
quo fiebat, ut Pontifex tanquam dominus fidei
& conscientiarum, ipsiusqve leges & decreta
Articulorum Fidei loco, ad salutem necessaria
haberentur. Quam tantam tyrannidem auge-
bat

bat Scripturæ sacræ hominibus erepta usurpatio, ut præter Dominicales Pericopas nihil cuiusquam in manibus relinqueretur; quâ profecto rapinâ, subvertente ipsam pedum nostrorum lucernam à DEO propositam, & pravorum magistrorum placita substituente, crudelior ex orco prodire nulla potuit. Hâc tum arrogantia munitus sibi visus Cardinalis *Cajetanus*, nihil agebat aliter contra Lutherum, quam eum ut recantare juberet. * Nondum animadvertebat impudentiæ radicem vir ingenuus, ideoq; ad Pontificem initio provocabat, donec tandem vi quâdam quasi adactus ad videndum, dubitaret demum, an Papa jure divino esset caput Ecclesiæ? quod quidem minime asseverandum esse cum e Verbo cognosceret, diu adhuc concedebat jus humanum; quod denique similiter nullum, nulla ratione immotâ fultum, per varios casus, per tot discrimina rerum, lumine Spiritus Sancti gradatim irradiatus didicit. ** Atque *hic vide*, sunt verba ipsius Lutheri, *vel in meo casu, quàm difficile sit, eluctari & emergere ex erroribus, totius orbis exemplo firmatis, & longa consue-*

* *Ill. Seckend. de Lutheran. conf. l. I. Sect. 18. §. XXXVII. XXXIIX.*

** *Vid Præfatio à D. Luth. Tom. I. lat. Jenens. præmissa.*

svetudine velut in naturam mutatis. Illa verò
crudelitate prorsus Anti-Christicâ, quâ Creden-
da atque Agenda ab hominis pendebant arbitrio,
vertique adeò ima summis poterant, tam hor-
rendis modis à Diabolo stabilitâ atque occultata,
ut diu perspicacissimam Lutheri fugeret mentem
ac deciperet, quid truculentius, quid verò pesti-
lentiùs unquam fuit? Quò nobis Evangelica
Reformationis ratio illustrior omninò existit,
cùm magis Evangelicum nihil detur, quàm,
postquam Christus Fidem nobis præscripsit, &
commeruit is simul, ut per eam æterna conse-
quamur gaudia, hanc, manibus pedibusque ty-
rannorum direptam diu ac conculcatam, cum-
que ipsâ nostram salutem, nunc posse restitutam
videre integram, nunc cum lychno ipsius Verbi,
eoque in linguam vernaculam publicumque usum
converso, è tenebris protractam, & à potestate
Romanâ vindicatam, in divino tuo fastigio ve-
nerari, nullius juri ampliùs aut violentiæ asser-
tam, libertatemque ex eâ filiorum DEI indipisci,
regumque & sacerdotum.

VI. Quam ego libertatem Evangelicam
dum admiror recuperatam atque exosculor, ut-
pote à quâ plenum hilaritatis nomen Reformatio

ha-

habet, injuriam Evangelio summam facerem, nisi in loco ipsum Reformationis caput, ipsum apicem, seu cardinem usurpare malis, in quo omnia versantur, expressius attingam. Nihil aliud dico & puto, Auditores, quam doctrinam de *Justificatione hominis peccatoris coram Deo*, quam *Philippus* ille, qui altera Lutheri manus haud immeritò appellatur, in Apologiâ Augustanæ Confessionis præcipuum vocat in tota Doctrinâ Christiana Articulum, *Martinumque* suum tantopere habet ad stipulantem, qui scribat: * *Si unus hic Articulus sincerus permanserit, etiam Christianam Ecclesiam sinceram, concordem, & sine omnibus sectis permanere; sin vero corrumpatur; impossibile esse, ut uni errori aut fanatico spiritui obviam iri possit.* Non equidem multis jam profero, quam crassâ oblcuratum caligine, nec non deletum funditùs Evangelium fuerit, quando Justificationem in dilectione, & bonis operibus nescio quibus, Sophistæ miserrimi ponebant; quando ad eludendas Scripturas Sacras fingeant distinctionem, quòd aliter de congruo, aliter de condigno

* Libb. Symbb. p. 683.

digno mererentur homines ; quando nihil de fide tradebant : illis verò omnibus gloriam evertebant Christi & Mediatoris officium , animisque humanis dubitationes meras atque ipsam inducebant desperationem. Liceat hîc mihi nodum illum detegere & solvere , ex quo tam noxia fila Cacodæmon protraxerat. In unius vocis significatione depravata doli omnes delitescabant. Justitia, Auditores, justitia quid esset coram Deo nostra, totus ignorabat orbis ! hic enim non nisi de Philosophicâ audiebat , id est, quam ratio dictaret, quam ne corruptam quidem recordabantur esse, nec verebantur humanis tantum viribus tribuere docentes, ac si ex iis diligi Deus satis superq; posset. Hoc Moyfis velamen * etsi Lutherus citò animadvertebat, sentiens immunditiam suam & peccati magnitudinem, & quàm longè abesset ab impletione Legis ; tamen Philosophiam adorans adhuc, diu multumque anceps hærebat de *Justitiâ*, quæ in *Evangelio* revelaretur. Quotiescunqve Rom. I. 17. igitur hoc legebat Apostoli pronunciatum, totus ille cohorrescebat, existimans per Evangelium quoque justitiam atque iram divinam intentari. Ubi verò is cognovit, misere Deo,

C 2

tan-

* Conf. Apol. A. C. p. 84. 45.

tandem, non aliam, nisi ex fide, justitiam intelli-
gi, fatetur *prorsus renatum* semet *sensisse*, sibi-
que hunc Pauli locum *verè Portam fuisse Para-*
disi, unde confestim alia ipsi facies totius Scri-
pturæ apparuerit. * At enim id considerantes,
de Reformatione quid statuemus? Cùm univer-
sus per ipsam mundus tam manifestâ luce, quæ
scaturigo vitæ æternæ unica est, uno quasi ictu
profligatis tenebris, donatus sit, & eo quidem
sensu donatus, ut, quæ credebatur antè à nobis
requiri justitia, tantum in fide & merito Christi
nobis imputando esse posita observaretur, quâ
non agnitâ pereundum cum nostrâ, id est, nullâ,
omninò fuerat; quis, quæso, non assequitur,
quàm salutare opus effecerit ista Reformatio,
quàm necessaria fuerit prorsum, atque adeò pla-
nè Evangelica! Cogitate mecum tristia illa tem-
pora, quibus ignota Legis, ignota Evangelii in-
doles, quibus ipsa vocabula & signa, per quæ
res ad salutem necessariæ in Scripturis traduntur,
Doctoribus quoque liber clausus, simulque cœ-
lum occlusum erat.

VII. Nec verò pericula, quibus erepti fu-
mus, hîc desinunt: etenim propter novum be-
neficium novas insidias struebat Satan, persua-
surus

* Præfat. B. Luth., tom. I. Jen. Lat.

furus jam melius informatis, ac si tum bonis operibus opus nullo modo esset, aut, si fides secum virtutes afferat, vel his tamen tribuenda atque asserenda salus. Quod utrumque cum alteram Evangelio ruinam minaretur, peculiaris denuò Evangelicæ Reformationis ratio observatur, non malè comparanda cum eo, quòd Christus, cum resuscitaret Lazarum, non umbram seu personam fictam produxit, sed vivum ac verum illum dilectarum fratrem, qui vitam quidem redintegratam nequaquam sibi, verum ipsi Domino ferebat acceptam: ita enim nec fidem justificantem in vanâ aliquâ persuasione, nec Justificationem in fructibus constituere oportebat. Itaque ex utroque latere hic pugnandum sibi Lutherus vidit, nihil regenerationis & renovationis, aut hinc consequentis sanctimonix necessitati retractum, neque huic sive internæ sive externæ de salutis causâ tributum quidquam volens. Notatu digna sunt verba, * quibus ad *Brentium* alicubi usus est: *Ego soleo, mi Brenti, ut hanc rem melius capiam, sic imaginari, quasi nulla sit in corde meo qualitas, quæ fides vel charitas vo-*

C 3

ce-

* Leguntur in Consiliis Theologicis Philippi Melanchthonis pag. 246. 247.

cetur : sed in locum ipsarum pono ipsum Christum. Et dico: haec est justitia mea, ipse est qualitas, & formalis (ut vocant) justitia mea, ut sic me liberem & expediam ab intuitu legis & operum: imò ab intuitu objectivi istius Christi, qui vel doctor, vel donator intelligitur. Sed volo ipsum mihi esse donum & doctrinam per se, ut omnia in ipso habeam, sicut dicit, Ego sum via, veritas & vita. Non dicit, Ego do tibi viam, veritatem & vitam, quasi extra me positus, operetur in me alia: In me debet esse, manere, vivere, loqui mecum. Item ad Corinthios: ut essemus justitia Dei in illo, non in dilectione, aut donis sequentibus. Ex quibus perspicue liquet, non de solis vocabulis, ut multi perperam censent, verum ipsis de rebus controversiam hanc agere, de gratia & misericordia Patris, de merito Christi, uti & in habitatione ejus per fidem, de illuminatione Spiritus Sancti per Evangelium. Quid igitur? si quis Evangelii instauratam lucem mirifice extollat, eamque in hoc secundum locutionem ponat satis recte, quòd salus obtinenda per fidem

dem sit; nullam vero aliam requirat fidem, quàm
notitiam, quàm assensum, quàm fiduciam quo-
modocunque conceptam: huncne Reforma-
tionis Evangelicæ naturam habere exploratam
satis, Christianus aut Theologus verus judica-
bit? Non id fecerit sanè, ex Scriptura & Con-
fessione Augustanâ, hujusque Apologiâ sciens,
justificantem fidem non esse, nisi opus sit Spiritus
Sancti & supra naturam, quâ liberemur à morte,
quâ erigatur & vivificetur perterrefacta mens;
neque ita vivificam posse cum peccato mortali
existere, neque aliâ remissionem peccatorum ac-
cipi: sciens vero & hoc, fidem istam non ut
opus quoddam beare, sed Christum ex promif-
sionibus eâ apprehensum, quotquot ipsius meritum
unice amplectantur, recipere hos benignè, justitiâ
vestire suâ coram Patre, pronunciante eos justos,
ut donentur vita æternâ, non modo illâ futurâ, sed
jam tum per fidem inchoatâ in cordibus, quæ pa-
riat spirituales motus in cordibus, ut *Apologia* *
loquitur. Quæ certè Apologia isthoc momentum
ita strenue exsequitur, ut ostendat præclare, non
omnem contra Adversarios triumphum in eo ver-
sari, quod fidem solum justificare certum sit;
immo incertam visum iri victoriam, si non
simul

* Pag. 83. & sequentibus passim.

simul apportes hanc Evangelii partem, ut nove-
ris, quæ & qualis sit illa fides vivificans, quomo-
do & à maledictione & à coactione, dominio-
que Legis & peccati, hominem vere liberet, quo-
modo lex deinde per eam magis magisque fieri
possit; neque hæc modò, sed & quomodo,
quod fiat secundum legem, DEO placeat in
Christo. Ista enim qui ignoraverit, non tan-
tùm veritatem non defendere, sed neque fidem
possidere veram, neque vivere ex eâ, quam non
teneat, neque terrorem aut vim Legis infrin-
gere, neque boni quidquam patrare, neque salutis
certitudinem habere ullo modo potest. Neque
est tandem, quod quis cogitet, quotusquisque
fuerit ex plebe, qui ea omnia sic teneat quasi in
numerato? Quemadmodum enim, si ægrotans
sanitati restituitur, non discit hic demum operoso
ingenii ductu bene habere, edere, bibere, stare, in-
cedere, absque quibus conditionibus sanus qui-
dem vocari nequit; verùm hæc recuperando
omnia experitur: ita quo magis integro & puro fi-
dei ardore mentes, cætera simplices, in Christum
feruntur, eo dignius singula isthæc penes se ex Ver-
bo audito requirunt, persentiscunt atque digno-
scunt. Coecus quidem intellectus, antequam glau-
coma deponat suum, quòd nequeat sibi id per-
sua-

svadere, mirari oportet neminem. Auctoritas si
asserenda sit, quam nullam mihi depono, nisi ex
sacris literis assertam, consulamus hanc in re *Lu-*
therum nostrum, qui qualem in Christum fidem
redintegratam nobis commendet, in *Praefatio-*
ne ipsius in Epistolam ad Romanos quilibet le-
ctor, cum exploratione sui attendens, sanctè ad-
miratur. Atque utinam omnium inscripta cor-
dibus sit dicta illa praefatio, uti omnibus mayo-
rum editionum Bibliis inserta apud nos reperi-
tur! utinam semper ea ante animum cuius ver-
setur nostrum, quibus gloria Evangelicae Reli-
gionis curae cordique est! Ibi enim totam ego
Reformationem, non externam illam Histori-
cam, sed propriam ejus naturam invenio sub
oculos redactam, ut desiderare ejus, quod huc
pertineat, nihil possimus.

VIII. Praestare aliquid videntur in recu-
perandis provinciis terrarum domini, si docu-
mentis vindicare legitimis possessionem queant;
nec non habent illi hinc, de quo exsultent:
qui verò insuper collapsa reficere, tueri periculis
obnoxia, pacemque monstrare constantem au-
sit, hunc vindicem, hunc Patrem Patriae auspi-
catissimum dicimus. Nec praeter rem, opinor,

D

hu-

hujusmodi quid in Reformatione Ecclesiae ob-
servo, quam cum non ex litera sola, sed hujus be-
neficio ex veritate & spiritu, quo ipse convictus
ante fuit, quam alios convinceret, Lutherus, di-
vina adspirante gratia, produxerit, eo ipso con-
suluit quoque in longitudinem, principium sa-
lutis omnis in fide justificante, eaque efficace &
vivifica sic positum confirmans, ut caetera mala
omnia, quae infinita Ecclesiam premebant, ex
hoc fonte medicamen accipere, bona vero et-
iam quaecumque, si illud unicum non deseratur
ab animis aeternae vitae dicatis, conservari atque
augeri nunquam non posse rectissime censean-
tur. Aliud ex alio mihi in materia amplissima
occurrit: at dabitur veniam, Auditores, si ad
haec delapsus, quomodo reliqua, propter quae
nonnulli Reformationem factam criminantur,
ut vigorem ejus Evangelicum tegant vel adi-
mant, ex ipso argumento primario secuta sint
necessario, aut praeter intentionem una accide-
rint, paucis explicem. Quamquam rem in me-
dio dudum posui: quae tantum habet ipsa san-
ctitatis, ut neque mea, quae exigua est, neque
cujusquam ad calumnias amoliendas eloquen-
tia requiratur. Omittimus ergo crassiora illa,
quod

quod utilitatis, vel etiam libertatis externae causa separationem instituerint Majores nostri; * quam nec fecerunt quidem ipsi, à communione Romanorum Ecclesiasticâ decretis & persecutionibus ejecti, proscripti atque exterminati. ** Quæ verò utilitas, quæ libertas proposita esse Luthero potuit, in quem tam atrocia ac dira fulmina tot annos vibrata sunt? nisi utilitatem atque libertatem veram illam, in recuperatione salutis mediorum, animæque ab humanis traditionibus immunitate sitam, veluti victoriæ fructum spectemus ab hostibus Christi reportatum, qui non tam Luthero, quam Evangelio debetur. Fuerunt alii, & hodiernum sunt, qui Reformationem superiore seculo exortam ita ineptè intuentur, ut de Ceremoniis actum esse credant, de quibus magnopere angere in utramque partem, interpretentur stultitiam, cætera autem à Luthero excogitata opinentur. At verò huic pro me respondeat Melanchthon ipse, qui Lutheri sententiam intime perspexit, scribens ita in Consiliis Theologicis: *Non de Ceremoniis dimicat Lutherus, majus quiddam docet, quid intersit*

D 2

* Conf. Ill. Seckend. Canon. de Luth. Præloquium, it. L. III. Sect. 2. §. IV. 5. 6.

** Ibidem L. III. Sect. 1. §. LXXX. 15.

inter hominum justitiam & DEI justitiam.
Hæc sunt, quæ à Luthero hoc tempore ostensa
sunt divinitus; & ferè nullo non seculo fue-
runt, quos hic suæ doctrinæ testes citare non pos-
sit, ne quis putet, hæc primùm à Luthero confi-
cta esse. * Neque opus est, multis confutare il-
los, quibus religionis & fidei vis ignota est, do-
nec ipsi terrores conscientiaë veros experiantur,
qui soli docere possunt, quàm charum deposi-
tum sit redditum Evangelium, utpote quod
Spiritus Sanctum & vitam affert: ut hoc u-
num etiam inculcare laboret Apologia, nun-
quam satis deprædicata. De ritibus autem &
ceremoniis non primariò rem fuisse, Status ipsi
Evangelici in Conventu Augustano una cum
Adversariis significarunt, primò de Fidei Articu-
lis, post de Ministerii officiis, & abusu rerum-
que externarum emendatione, agendum esse
judicantes, ut *Cælestinus* refert. ** Idem & histo-
ria tota & rei natura edocet. Quid Luthero di-
splicuit magis, quàm perversa hæc methodus &
docendi ratio, si quis in solis externis laboraret,
neglecta interim verâ doctrinâ Christianâ, hoc
est, fide ac charitate, & eò perduceret populum,
ut

* In Consiliis Theologicis p. 39.

** In Hist. A. C. part. III, f. 42.

ut sese Christianum arbitraretur observatis con-
temtisvè Ceremoniis? Ea namqve multitudinis
natura est, ut, ritibus vel laudatis vel castigatis ni-
mum, rapiatur huc fervida, tanquam liberata
animarum emendatione.

IX. Via Beati Patris erat prorsum Evan-
gelica. Hic non per vim quandam aut violen-
tiam leges ferebat, quæ Papatui oppositæ novum
extruunt; sed doctrinam fidei, quæ prædicat
efficaciam Christi in obsequentium cordibus,
peccato, morte & Diabolo majorem, fide-
litate omni urgebat, insinuabat, firmabat. Nô-
rat enim ille ex sua ipsius conversione, quippe
qui Papista fuerat insanissimus, unicum hunc
Articulum de Fidei iustitiâ, in spiritu & veritate
perceptum, evertere paulatim monstra Papatûs
omnia & abominationes, ceremoniarum abu-
sus, cultum imaginum, sanctorum invocatio-
nem, temeritatem votorum, purgatorium, con-
fessiones, satisfactiones, indulgentias, rem Mis-
saticam, ipsam deniqve auctoritatem Papæ, alia-
que ejus generis *scandala & doctrinas da-
moniorum, inter quas jacebat obruta doctrina
de iustitiâ fidei in Christum, & de beneficio Chri-
sti.* * Ipse igitur ante omnia semetipsum per Dei

D 3

gra-

* Verba Apologiæ A. C. p. 164.

gratiam formabat ejusmodi Theologum, ut se-
se ædificatum nōset in fundamento Apostolo-
rum ac Prophetarum, divinam animo circum-
ferens rerum ad salutem necessariorum certitudi-
nem, quam lingua Novi Testamenti sancta
ὀρθόδοξον appellat. Hanc nimirum facere non
Christianum modò, sed etiam Theologum, qua-
tenus *oratione, meditatione ac tentatione*,
incrementa sumerit, exemplo monstrabat
suo, maximamq̄ve in eo collocabat ope-
ram, ut scientiæ reliquæ ne magistrarum, sed
ancillarum loco haberentur, ipsa autem Scriptu-
ra, & orthodoxa ejus veritas atq̄ve analogia, thro-
num tueretur incontaminatum, ipsiusq̄ve aurum
à scoriis commentationum Scholasticarum &
legum Pontificiarum integrum existeret. Quod
quidem ut omni præstabat opere, docendo, enar-
rando, refutando, ita reliquis laboribus minimè
cedit *interpretatio illa Veteris & Novi Testa-
menti, in quâ tanta est perspicuitas, ut vice
Commentarii esse possit ipsa Germanica lectio.
Quæ tamen non est nuda, sed habet adjunctas*

CRU-

* De his tribus studii Theologici requisitis legendus ipse Lu-
therus Tom. I, Germ. Jenens. & Witteb. è Ps. 119.

eruditissimas annotationes, & singularum partium argumenta, quæ & summam doctrinæ cœlestis monstrant, & de genere sermonis erudiant lectorem, ut ex ipsis fontibus bonæ mentes firma testimonia Doctrinæ sumere possint. Volebat enim Lutherus non detinere in suis scriptis, sed ad fontes deducere omnium mentes. Ipsam vocem Dei audire nos voluit, hæc voluit in multis accendi veram fidem & invocationem, ut Deus verè celebraretur, & multi fierent hæredes vitæ æternæ. Quæ iterum verba sunt magni Philippi, testis locupletissimi, ex præfatione in Tomum secundum Wittebergensem. Nec verò ipse tantum B. Pater in scripturam ita incumbere tractandam cunctis viribus, sed Ministros quoque Verbi publicos commonefaciebat de officio suo, ut posthabitis Philosophorum commentis, quibus depravabant nonnulli Prophetarum & Apostolorum oracula, hæc scrutarentur, & ipsi ex his fidem explorantes suam suorumque, docerent non mera præcepta & tabulas, verum gratiam Christi & Evangelicam regenerationis virtutem & libertatem, atque hanc

hanc fidei potentiam plebi catecheticè instilla-
rent. Ecce autem ! quæ nova tanti Doctoris
merces ? nempe in novum incurrebat crimen,
quasi bonarum literarum studiis hoc pacto in-
teritus immineret ; quorum ille abusum tan-
tummodò , regno Dei pestilentissimum , repre-
hendebat. Veruntamen eventus satis docuit,
quantam utilitatem pepererit Lutheri , non tam
ex Patribus & Philosophis,quam ex propria, Ver-
bi lumine accensâ , & usu fidei subactâ agni-
tione commentandi ratio. * Docent divina ejus
scripta , testatur præter cæteros *Commentarius*
in Epistolam ad Galatas , attestantur omnes
genuini ipsius imitatores , principem quorum
ipse agnoscebat Melanchthonem , vocans eru-
ditionis illum in totâ Germaniâ parentem : qui
quidem in Sacris ita ab arte & ingenio suo tem-
perabat , ut solam Scripturam citra priorum tem-
porum commentaria legendam præciperet ; suis
verò annotationibus hanc laudem referret à Lu-
thero , quæ non commentarii nomine appellan-
dæ essent , qualia Hieronymus , Origenes aliique
reliquerint , multis ineptiis humani ingenii refer-
ta, sed dici mererentur *Index legenda Scriptura*

* Conf. quæ *Ill. Seckend. Comm. L. III. §. 20. 3.* ex libello Ger-
manico de Conciliis & Ecclesiâ excerptis §. 2.

Et cognoscendi Christi, * id quod nullus præstiterit Commentatorum. Eat nunc Erasmus alii- que & qverantur, quod juxta Lutheri consi- lium scientiæ atque artes locum aut pondus nul- lum habituræ sint amplius, si ex Scripturâ Theo- logum fingendum velit. Immò vero experientiæ testimonio constat, quod fide non fictâ ex Scri- pturis per Spiritum Sanctum in animò fundatâ, & earundem munimentis firmatâ solidè, usus tum demum disciplinarum verus patefcat, ne fa- ciles ingenii humani lusus Theologiæ, ut fit, lu- xuriose dominantur. Nec dubitârim ego hanc Lutheri methodum singularem Evangelicæ Re- formationis fructum nominare, quâ certè ab ætate Apostolorum nihil verbo Dei aptius, nihil ad docendam fidem efficacius, nihil ad tuen- dam veritatem sanctius, nihil ad animos in abne- gatione confirmandos castius, nihil denique convenientius Evangelio Crucis, neque ipso ar- tium usu Christiano dignius auditum quidquam est.

X. Accepistis, Auditores, naturam Ev- angelicæ Reformationis utcunque repræsenta- tam, quam ego nunc animo toto recognoscens exoptem sane, ut temporibus nostris eâ facie læ-

E

tari

* In Epistola peculiari ad Melanchthonem.

tari possit Ecclesia, qualem esse voluit Reforma-
tor Deus, huiusque servus fidelissimus. Quo-
circa si quis ex me quærat, quid hodiè in Eccle-
siâ desiderandum? e quidem unâ fidei appellatio-
ne mihi satisfecero; si quis idem secundâ vice
interroget, rursus eandem fidem requiram; si
tertiò, nihil aliud dixerò, quàm fidem. Quam qui-
dem, Lutheri studio pridem restitutam, cur tan-
topere etiamnum efflagitem, si quis instet, nihil
credat in Reformatione illâ me carpere, sed ipsam
ejus veram indolem hodiè parum inveniri intel-
ligat. Nam mentem verè Evangelicam rarò apud
imperitam multitudinem, quæ nudâ historiâ
malitiam sustentat suam; rariùs apud homines po-
litiores, qui hypocrisin externo cultu fovent; ra-
rissimè apud doctos, qui sapientiam humanam
divinæ præferunt, offendes. Lutherus enim
nullam agnoscebat fidem aliam, nisi victricem
illam mortis, victricem seculi & vanitatum &
cupiditatum & consuetudinum pravaram pec-
catorumque dominantium, hoc est, verè Ev-
angelicam: hunc namque fructum nisi mors
& resurrectio Domini, ex cuius merito salus o-
mnis provenit, efficere apud animû quæant, quis
salutarem illam apprehensionem factam statue-
rit

rit, nisi ipsam qui negarit veritatem? Qvis verò,
statum Christiani orbis hodiernum vulgò
ita comparatum, asseverare potest? Ut Refor-
mationis sanctioris vix aliquid superesse qui
dubitarit, persimilis videatur eorum, quibus
in magnis doloribus mens ægrota non sentit vim
morbi. Non ego sum tam iniquus ætatis hu-
jus æstimator, ut nullibi spem credentium vivam
reperiri arbitrer; quin potiùs divinam adoro
benignitatem, quã fit, ut neque nunc prorsus
nulli sint, pristinam fidem referentes; illud ta-
men minimè vereor pronunciare, & perpau-
cos eos esse, & plerosque hominum Reforma-
tionis Evangelicæ naturam, non tam in justitiã
& spiritu Christi (novo illo nomine, quod nisi
accipiens, capit nemo) per fidem obtinendo
ponere, quã in literali potissimum notitiã, con-
tra adversarios comprehendendã; quorum equi-
dem neutrum ab altero divellendum erat. Hic
autem error, hoc venenum ita infestavit dudum
Ecclesiam, ut monitores veterem illam Roter-
dami querelam experiantur necessariam, scilicet,
Hereticum esse, quicquid non placet; * ipsum-

E 2

que

* Erasmi epist. ad Sereniss. Fridericum Saxon. Elect. de An-
no 1519. Eodem anno scripta Præfatio prima Com-
men-

que Jesuitæ Marcellii, de superiore seculo dictum, epiphonema non alienum à nostro sit habendum, quòd *res vergant ad summam animarum calamitatem.* * Ipse suo adhuc tempore Lutherus sæpenumero conquestus est, licet ad initium Evangelii omnes accurrerent, ubi verò pervaserit Evangelium, fastidiisse illud tantorum beneficiorum oblitos. ** Quid ergò mirabimur, si Germania antiquum obtinet, ipsiusque Prophetæ sui implet vaticinium? Nos verò degeneres Patris illius filii essemus, nisi ejus exemplo pessimos seculi mores emendare, lapsisque Ecclesiæ rebus succurrere omni opere anniteremur.

XI. Et verò quantum nobis subsidium, quantum præsidium in doctrinæ Apostolicæ puritate suppetit, à Reformationis diebus ad nos feliciter propagatâ! Quam si tanquam idolum intueri quoddam, si non ad salutarem usum omni animi contentione traducere velimus, sed

frumentar. in Epistol. ad Gal. gemina habet, quam Melancthon tributam unâ cum alterâ *Ill. Seckendorffio* debemus Lutheranism. I. I. Sect. 35. §. LXXXV.

* Jes. Henr. Marcell. Sapient. Pacif. discv. l. 5.

** Conf. *Ill. Seckend.* Luth. l. III, Sect. 6. §. XIV. 12.

fructibus suis sanctissimis destitui, ut fieri apud
magistros & auditores solet, externæ ortho-
xiæ gloriâ contentos, patiamur, ecquæ putamus
religionem nostrâ deteriore appariere?
Nonne loco veritatis, quæ castissima inter ma-
nus oculos mentesque nostras versatur, supersti-
tionem vanissimam prosequimur? Nonne ma-
ter illa salutis, solâ admiratione & inani lingvæ
veneratione in coelum evecta, minimè autem ve-
ro animorum conjugio agnita, medios inter cul-
tores suos se desertam & viduatam debet con-
queri? nonne hæc debellatrix criminum atque
errorum omnium, si tantum eminens colatur,
robur suum amittit ante oculos hominum, ut
hostes haut immeritò ipsi insultare videantur?
Neque verò ista profero ex sola conditione, sed
verè ita cum summa Evangelici nominis inju-
riâ plerumque agi, equidem vehementer deploro.
O perturbatam rationem! O studia disto-
luta & perditâ! quæ cum veluti ancillæ domi-
nam una in tromissam sequi, ipsiusque jussa præ-
stolari atque sequi deberent, nunc mentem nul-
lâ non vanitate præoccupant, ut regina seditio-
sas fugere tantisper & detestari cogatur. **Credi-
te, Auditores, Orthodoxiam illam primævæ Ec-
cle-**

clesiæ, magnâ & puritate & sanctitate conspicu-
am, quam B. Lutherus, fidelis ejus minister no-
strumq; magister optimus, Dei beneficio redu-
cere satègit, si cominùs videre ac consulere lice-
at, nos omnes & singulos in testimonium voca-
re atqve obtestari, & quodammodo tacitam lo-
qui. Quid videtur vobis, mei, de vultu, de ha-
bitu, de toto meo statu? ego illa, quam Mega-
lander ex undis Israëlîs limpidissimis, sanctâ de
pectoris sui sede, pristinæ sanitati ornamentis-
qve restitutam produxit, nunc acerbitatibus tan-
tum non confecta ægre & nomen & membra tra-
ho: dicor quidem florentissima, sed florentem fi-
dei integritatē nusquam reperio: sanctissima ap-
pellor, senesqve & juvenes circa me odere sancti-
moniam: genuina vocor ipsissima, quam sanè
exulem atqve alienissimam multi volunt ab
antiqva fortitudine: discerpor in lites, in quæstio-
nes; torqveor, ut ne ea sim, quæ fui & esse volo:
intra privatos laceror parietes, educta in publi-
cum tuco invita superbio: populus me laudat,
sed ignorat; doctorum multi me nōrunt, pauci
agnovēre: ita subivis compareo sub umbra, ra-
rō tenebris eripior, quæ si amplexu aliquorum
sanctissime utor, Susannæ sortem experior ab iis,
à

à quibus minime conveniebat. Nihil ego ex-
opto, nihil desidero, nisi ut Lutheri vestigia se-
quimini, ibi cultum atque vestitum, ibi alimen-
ta mihi quærat, unde is petiit, talemque me,
qualem prædicatis, vobis reliquit, O mei! Hæc
dicentem si non coram videmus audimusque,
certe res ipsa atque experientia nos quotidiana
edocet. Exploremus Reformationis Evangelicæ
culturam apud eos, qui ad pascendos alios, Ec-
clesiis ut præficiantur, sese his diebus præparant.
Quid aliud ab iis expectabimus, quam ut, Lu-
theri & Melanchthonis sequentes methodum, in
Scriptura ipsâ Spiritum Sanctum consulant: at
verò, quam multi illorum alia tractant omnia,
Deique effata fastidiunt! Quando & Con-
fessio Augustana & Apologia veritatem in Ver-
bo fundatam, piarumque mentium testimo-
niis confirmatam requirunt, hodie nemo fe-
re Studiosorum est, qui de praxi dogmatum
& experientiam intra se spiritali sollicitus
inveniatur. Contra verò quam auctori-
tatem hominum circa Fidei Articulos de solio
deturbârunt majores, hanc unusquisque tan-
quam oraculum veretur, hanc turba juventu-
tis cæca passim sequitur, neglectâ Scripturâ
&

& conscientia. Ejusmodi Pastores imperitis de-
inde ovibus præfecti, qui verbum Dei recte di-
spensabunt, quod tum forte quoad Textum ali-
quem demum introspiciunt, jejunisqve artium
instrumentis (quæ ipsis quidem rebus inservien-
tia satis apte profuerint) nullâ cum Scripturæ
spiritu contractâ familiaritate, non possunt non
miserrime distrahere? Qui cognitionem sui &
Christi intimam, hoc est, verum Scripturarum
ulum, intra animam nunquam experti, digne
proponent? Quomodo ab auctoritate suâ
Auditores ad Christum, aliorumqve ab auctori-
tate ad veritatem ducent, qui scientiam non ex
ipso Dei verbo in spiritu & veritate haustam,
sed tantum ex doctrinæ impressis animo specie-
bus acquirunt? Non profectò mirabimur, tan-
ta mala in Ecclesiam, coetusqve fidelium uni-
versos invecata esse, si Evangelicæ Reformatio-
nis, cujus sententiam omnes profitemur, veram
indolem ac methodum à paucis servatam anim-
advertamus. Neqve enim aliam conservandi
viam esse, quàm quâ obtineri illa potuit, initio
diximus.

XII. Enimverò quorsum hæc omnia? ni-
mirum ut eo rectius ad animum vocemus bene-
ficii

ficii magnitudinem illius, si medelam afferre tantis vulneribus, qui quocunque modo possint, moliantur. Unde autem presentior cura expectanda est, quam ex Academiis, Ministrorum Reipublicæ atque Ecclesiæ publicis illis formatricibus? Quò major omninò laus & gloria debetur **SERENISSIMO & POTENTISSIMO ELECTORI BRANDENBURGICO**, DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO, qui medios inter bellorum æstus, cum quibus aliàs studia literarum in consilium venire vix solent, de Universitate hîc loci condendâ regiam gestare sollicitudinem nullus dubitat. Respice ab alo, Rex Regum & Domine Dominantium, devotissimam hanc mentem **FRIDERICI**, id est, Salomonis Tui benignissimè, paterno Tuo confirma eam nutu, ipsumque præsta felicem inter Principes ac sospitem, præsta victorem & debellatorem, non hostium modò Ecclesiæ externorum, sed & internorum, vitiorum quippe hujus seculi nocentissimorum, ut ille, exoptatissimum pacis & secularis & spiritualis florem in terris suis aliisque protrudere germina accrescere, diu gaudeat! Ego verò **SERENISSIMI DOMINI** in me affectum clementissimum

F

vene-

veneror humillimè , etiam atqve etiam implo-
rans Deum , ut , quandoquidem primâ vocatio-
ne ad Theologica studia hîc tractanda , & Semi-
narium Ecclesiasticum dirigendum , nec non cu-
ras Electoralis Consistorii in Ducatu Magdebur-
gico unâ suscipiendas , tenuitatem meam adduci
huc voluit , expectationi optimæ nunc respon-
dere ex officio dignè queam. Quocirca etsi fa-
cilè assequor , quantam muneris gravitatem mihi
imponi passus sim , tamen postquam functionem
Professoris jam ante in Academiis duabus , neque
minus Consistorialem Aulicam , & Ecclesiasti-
cam in dirigendo Ministerio , uti & animarum
curâ speciali , multis cum gratiæ divinæ generibus
sustinui , eandem hoc in loco minime defuturam
confido. Agedum modò agnoscite Vos dile-
ctissimi , quicumque sacrarum literarum causâ
huc vel accessistis vel adventuri estis , agnoscite,
inquam , propiùs , quæ sint Ecclesiæ commoda
atq; incommoda , quæ vestigia Lutheri premenda ,
si monstrare fidem veram animabus ex verbo , &
larvam a veritate dignoscere in conversione nô-
strum aliorumqve , atq; huc omne Scripturarum
studium accommodare , ut par est , cupiamus.
Vos, Auditores splendidissimi honoratissimiqve
beni-

benigne admodum egistis, quòd me dicentem
de ipsâ Reformationis naturâ tam constanter &
benevole audiveritis. Erit, erit illa dies, qua sci-
mus universum orbem reformatum iri, futurum-
que, ut purgatos in tempore lux sempiterna am-
biat, lucem verò ex osi æternis tenebris invol-
vantur. Quamobrem in optatis nihil vos me-
cum habebitis sanctius & antiquius, quam inte-
rim ut vera Evangelicæ Reformationis forma ac
splendor nusquam non illucescat, nostrum
omnium & Ecclesiæ totius bono. Atque ut fi-
niendo verbis Cypriani utar; *Rogemus pacem* ^{Cypr.}
maturius reddi, citò periculis subveniri, impleri ^{Ep. IIX.}
que famulis suis Dominus dignatur ostendere,
redintegrationem Ecclesiæ suæ, securitatem salu-
tis nostræ, post pluvias serenitatem, post tenebras
lucem, post procellas & turbines placidam leni-
tatem, pia paternæ dilectionis auxilia, divina
majestatis solita magnalia; quibus & perse-
quentium blasphemia retundatur, & lapsorum
pœnitentia reformetur, & fortis & stabi-
lis perseverantium fiducia
glorietur.

DIXI.

IN-

INDEX TRACTATORUM.

- I. Dicendum de Ecclesiæ Reformatione Evangelicâ, quæ superiore seculo Spiritus Sancti ope ex necessitate contigit.
- II. Reformationis salutaris circa res divinas in Ecclesiâ auctor Deus solus est.
- III. Evangelicæ Reformationis origo penes hominem, tanquam instrumentum, non ex arbitrio humano, sed ex veritatis agnitione, hujusque fidei professione fluit.
- IV. Corruptelæ etiam magis magisque reteguntur.
- V. Quò major tyrannis Papistica fuit, quoque difficilius patefacta, eò pretiosior libertas.
- VI. Justificationis articulus primarius corruptus, & emendatus.
- VII. Periculum confusionis eorum, quæ ad Justificationem & Sanctificationem pertinent, exantlatum.
- VIII. Ex doctrinâ de fidei justitiâ reliquarum rerum emendationes proficiscuntur.
- IX. Idem confirmatur, laudatâ simul Lutheri Scripturam interpretantis & primario tractantis methodo.
- X. Reformationis verus & salutaris fructus hodiè cessat insigniter, serio instaurandus.
- XI. Puritas doctrinæ integra agnoscitur, sed ejusdem experimentalis agnitio desideratur in vita & studiis.
- XII. Remedia speranda ex Academiis, quarum instauratio grato animo celebranda, cum piis votis.



05 A 226

ULB Halle 3
004 207 025



VDA7

10





ORATIO
INAUGURALIS,
De
REFORMATIONIS
EVANGELICÆ
NATURA ET INDOLE,

Quam in
ACADEMIA ELECTORALI
FRIDERICIANA

Ad
PROFESSIONIS THEOLOGICÆ
capienda primordia

solenniter immissus
D. XVIII. Nov. A. M DC. XCI.
habuit

JOACH. JUSTUS BREITHAUPT, D.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, Regiminis Elect.
Brandenb. Typogr.

